

~~geföhnt~~

~~E.~~

~~62.~~

24

Alle

Zu 00

viel angebunden



(1-24)

ORATIO
DE VITA ALEXAN-
DRI SEVERI IMPE-
ratoris laudatissimi

conscripta ē

RECITATA IN COLLEGIO
IVRIDICO à SEBASTIANO à BERGEN, CVM
ex decreto amplissimorum Iurisconsultorum in
inlyta VVitebergensium Academia le-
ctiones publicas auspicaretur, anno
1583. mense Ianuario.



VVITEBERGAE
Ex typographia Simonis Gronenbergi.
M. D. L XXXIII.

3

EPGRAMMA

Quanti pretij virtus.

Gratus agris, animo, nemori, SOL, floribus, vndis;
Grata etiam pingui quod SABA thure scatet;
Grata mari nautas, SPES morbo sustinet ægros;
Grata puellari quæ STOLA digna choro est;
Grata oculis SORS est, pulso discrimine Crœsi;
Gratus SAL, vitium cum capit esca, venit;
Grataq; Mœoniæ sunt artis SACRA Mineruæ;
Grata viris STIRPS est nobilitate satis;
Grata premunt palmæ cupidi SAGA militis artus;
Grata petituro STIPS loca longa cadit;
Gratiore est veræ virtutis copia, cedant
SOL, SABA, SPES, STOLA, SORS, SAL, SACRA,
STIRPS, SAGA, STIPS.

AMPLISSIMIS VIRIS,
SPLENDORE GENERIS, ELE-
gantiori doctrina, sapientiæ, & eloquentiæ laude cla-
rissimis, Dn. HERMANNO VVETKEN, Dn. E-
BERHARDO MOLLER, Dn. PAVLO GROTE,
Dn. IOHANNI NEIBVR, celeberrimæ Hambur-
gensium Reipub. Coss. dignissimis: & Dn. VVIL-
HELMO MOLLER, Iuris utriusq; Doctori, & eius-
dem Reipub. Syndico, Dominis & patronis o-
mni pietatis & obseruantiae studio
colendis,

S. D.



VOTIES superioris etatis memoriam
animo meo (ut singulis propemodum
momentis contingit) viri præstantissi-
mi repeto: totiens eum & dolor quod
beneficiorum multitudinem sine inter-
missione coram quasi aspicere, ac admirari, &
tamen per virium exiguitatem, gratitudinis re ipsa
satis referre non liceat, grauiter adficere: ex inter-
vallo autem, latitia quadam singularis, quod vestra
in Musas nostras merita aequali usura lance non
metiamini, & à viriditate ante messem speratam
nihil exigatis, suauiter demulcere consuevit. Qua

A2

Janè

DEDICATORIA.

sanè mira vicissitudo, ut nunquam non accuratissimè cogitem, facit, quemadmodum olim, obsequis sufficientibus, pietate & officio congruenti, iuxta accepti mensuram vestras Magnif: demererri possum. Caterum quæ vobis ingenita est humanitas, quæq; insidet felicissima indoles, ea me abundè consolatur, & mirificè sustinet, fore, ut in sola, hoc quidem tempore, hoc rerum mearum statu, animi propensiissim adfectione, & promptissima ad remunerationem voluntate nostra, dum nauicula nostræ antennis Faunii auspiciiūs fauebunt, conquiescatis. Tum de vestris Magnif: tum de laudatissimis filiis auitæ virtutis imaginem, viuo, quod aiunt, colore, expimentibus: tum de patria dulcissima, cunctisq; mei amantibus optimè commereri studebo. Ut autem in magnis voluisse saltem sat est, & principes viri exilia pro facultatum modulo munera, citra contemptionem, serena fronte susceperunt: sic Orationem nostram de vita optimi maximi Imperatoris Alexandri Seueri, explicacioni Legiss Rem maioris. 2. l. si voluntate. 8. C. de resc. vend. & c. cùm caussa ext. de emt: & vend. jussu ordinis juridici in nobilissimo VVitebergensium Gymnasio, mense Ianua-

DEDICATORIA.

nuario, suscep^ta & auspicatò finita & præmissam, ve-
luti prædioli Emphyteutici primitias, vestris Ma-
gnif: ut ab inuidia & malevolentia dentibus vin-
dicitur, nuncupatam, non fore iniucundam planis-
simè confido: cuius voti facto compoti calcaria ad-
dentur, & ultrò mihi ad gratias referendas anhe-
lanti, desiderium magis magisq; acuetur. Quod
superest, D E V M præpotentem, ut inclytæ patriæ
Rempub. pace florere, Senatum populumq; diutis-
simè in columem vigere, vestras Magnif: animi &
corporis dotibus, quò fortius curia curis inuigiletis,
affatim locupletari permittat, etiam atq; etiam ve-
hementer oro. Viuite diu, & valete optimè. Ex
Vitæberga VI. Cal. Aprilis, anno M. D. XXCIII.

VV. Mag. & Ex.

deditiſſ.

Sebastianus à Bergen Ham-
burgensis, I. V. L.

ORATIO
D E V I T A A L E X A N D R I
S E V E R I , O P T I M I I M P E R A T O R I S
R o m a n i .



Vanquam, clarissimi viri, & sodales le^ttissimi, conspectus vester atq^{ue} confessus mirificè reficit & recreat mentem meam, cùm videam hoc in cœtu neminem, cui mea salus cara non sit, cuⁱ usq^{ue} non extet in me sua animi propensio: haud mediocreiter tamen perturbor, qui hoc in Collegio, quod excellentissimum virorum concionibus quotidiè personat, & ubi monenta principum eloquentiæ exprobrant propemodum mihi dicendi infantiam, constitutus, coram tot acutis oculis, tot delicatis auribus verba facere in animum inducam: quinimò etiam atq^{ue} etiam vereor, ne timore perculsus, in ipso mox portu, quod aiunt, halluciner atq^{ue} impingam. Si enim is, qui ob diuinam facundiam Theophrastus nuncupabatur, Philosophiæ & Oratoriæ scientissimus, Gellio referente, in medio sermone sui quasi oblitus coram Attica plebe, verecundia motus, obticuit, quid mirum, si ego Oratori's emblematis omnium minime instructus, si neophytus, & disciplinæ & styli elegantioris, quo sensus atq^{ue} motus animorum excitantur, egentissimus, hoc loco, quo nihil nisi perfectum ingenio, elaboratumq^{ue} industria adferri oportet, cohoream, ac facile totus consterner: Cæterum meo m^e pede metiens lubenter agnosco, nequaquam me posse istiusmodi Orationem in medium proferre, quæ vestræ expectationi villo pacto faciat satis: maximè cùm ista perorandi exercitatio per reliquos labores, & occupationes, quibus annis superioribus disciplinæ iuris ciuilis totum me tradidi, distractus fui, non dicam penè, sed planè intermissa fuerit. Quapropter si lingua forsitan mea aspero sub oratiunculæ anfractu substiterit, aut quemadmodum ratio exposcit, verba decorè, ornatè, politeq^{ue} ex paupere suppellectilis nostræ penu deprompta non fuerint, veniam petenti pro vestra humanitate largiemini: ut sic dicendine-

ORATIO

dī necessitatem, cūm ab illustrissimo Principe Electore Dño
AVGVSTO, &c. Albiacis Musis domicilium clementer con-
cedente: tūm amplissimo Antecessorum in hac Academia de-
creto, vt quale quale eruditionis meæ specimen publicè edere-
tur, impositam, vestra æquaniimitate, vestro fauore, vestro de-
nīcī candore, qui in reliquis virtutibus mirifice fulget, quiq[ue]
alīs multoties spectatus est, cōmiter recreatam, & attentione
suffultam, sustinere, & sine fastidio ad exitum perducere pos-
sim. Accedit insuper Cañ Jurisconsulti præsens authoritas,
qua scitè respondit, interpretationem aliquam promittenti in-
conueniens esse, illotis, vt perhibent, pedibus & manibus ma-
teriem explicationis aggredi, nec ad rei ipsius merita viam
munire. Quærenti autem extemporalē aliquod orationis
argumentum, celebritati huius instituti consentaneum (nec
enim disquirendi facultatem breuis illa temporis intercape-
do recepit) non aliud nunc quidem occurrebat, quām ex
illis mentis productum agitationibus, quæ mecum assidue ver-
santur, & circumambulant. Si quis enim arbitratur in liberali-
um doctrinarum tractatione constitutum iuuenem, sui theatri,
suæq[ue] palestræ amantem, vacuo ab his animo, quæ suum forum
concernunt, esse posse, hic aut cuius professionis sit, aut com-
munis etiam literaturæ ignarus censeatur, oportet. Ac ipse qui-
dem haec tenus in Codicis nostri libris mediocri cura inhabitans,
mecum satis demirari nequeo, multis retrò seculis diuina in res
humanas prouidentia, ad Romanę monarchię protectionem, tot
ac tām egregios fuisse excitatos Imperatores, qui constitutioni-
bus seu rescriptis (vti rectissimè vocites) mortalium actiones
comprehendere, iustitiæ arcem sartam teatram custodire, iustis
præmia adsignare, reprobis scelerum poenias necemq[ue] ipsam
immittere voluerunt: Quorum sanè præclara maxima ex parte
in Remp. merita, & res insigniter gestæ non equidem qualeno-
stræ dictio[n]is est, sed Pericleum & Tullianum, & si quod splen-
didius vñquam fuit, filum & splendorem meruerunt.

Liber in his Imperatoribus, dulcissimæ recordationis gra-
tia, Constantiū illum Magnum, Antoninos, Iustinum cum suc-
cessore, Iustiniano, cuius iussu iurisprudentia ab antiquis fabu-
lis

ORATIO.

Ilis in limpidissimum stagnum corruata est, meritò nominare, quorum celebratissimæ voces, ancipiti negotiorum definitioni, instar amussis adaptantur, iudicij consecrantur, conciones peruvolitant, totoq; terrarum orbe, ceu lumen aliquod caligini obiectum, cernuntur. Ex illis, dicam sine amore & odio quid velim, spectatæ memoria virtutis, & gratissimæ quondam inter subditos suos consuetudinis suauitas, & sapientiæ admirabilis raritas, de Alexandro Seuero, verè incomparabili Imperatore ac bellatore simul & Patre Patriæ meritissimo, multa precipue meminisse permittunt: Cuius quoties in mentem venit, venit autem sæpius, toties peracerbè doleam necessum est, cum florentissimæ vrbis mœsticia, tam illustre maiestatis decus, perpetua in his terris vita dignissimum, occidisse. Sed hæc nunc studio prætermittam, ne huic confessui querelis nostris velut feneratione quadam obnunciasse videar: potiusq; recolendis, ac persequendis h̄s, quæ ipsius in vita tanquam precioso thesauro sita, collaudatione digna, precipue enituerunt, famæ tanti herois, quantum humeri nostri ferunt, gratè parentemus. Deinceps itaq; de Alexandro Seuero, pro temporis angustia, breuiter quidem, sed verè agam.

Occiso Vario Heliogabalo (sic cur vocetur suggestur historiæ) ad singularem mortalium salutem & emolumentum Aurelius Alexander, vrbe Arcana in lucem editus, Varj & Mammææ ut sanctissimæ, ita ad rem attentissimæ filius, imperij diadema, cùm prius Cæsar à Magnifico senatu fuisset appellatus, accepit, nec non splendidissimos dignatum titulos, vt scilicet Augustus, Patriæ pater salutaretur, Ius Proconsulare, atq; potestatem Tribunitiam, Senatu cupide deferente, teneret, vnius diei interuallo suscepit. Et quamlibet præceps illa honorum continuatio ac collatio adpareat, ne tamen grauissimis eam rationibus caruisse existimemus, perspicue de illis à magni nominis authoribus in literas relatū est, quas nos, breuitatis forte nimis studiosi, silentio præterimus, & quod primus omnium vniuersa insignia & honorum axiomata, ob summum, quo apud milites, & senatum, & bonos viros valebat, vitæ morumq; integritate acquisitum fauorem, consecutus sit, memorabile ducimus. Sic ad rez
rum

ORATIO.

rum summam euctum Alexandrum esse & uisus est aucto, & eruditus Doctoris opera & adminiculo destitui, cum sibi, ut in Adagio est, quisque sit magister pessimus, vehementer puduit: institutorum a teneris usque vnguiculis delecto, artibus ingenuis, ciuilibus ac castrensis exercitibus efformatus, atque celerius opinione exultus fuit: Nec mchercule vnam artem callenti magistro contentus, alios in disciplinis alios, vel Logicos, vel linguarum interpretes, quos nominatim alibi videre licet, magna accurate conduxit, indolisque suae semina secutus indefesso studio, animoque penitus infracto ita Græcae eloquentiae inuigilauit, ut Romanam pari in pretio non haberet, nec vnum sine exercitibus diem, subinde doctorum virorum lucubrations sursum deorsum voluendo, elabi permetteret. Quibus literis ita optimi Monarchæ animus præparatus ac emollitus est, ut ab humana sorte alienum, si Dominus diceretur, existimaret, & simpliciter Imperatoris nomine præfixo epistolas ad se perscribi voluerit.

Candidissima veste, spreto auro, usus, hominum conuentui interfuit perquam familiaris: Corporis etiam venustate, proceritate heroica, & valetudine satis firma præclaras naturæ dotes indicante, ita omnibus extitit charus, ut a pietate, sanctimonia, & frugalitate cognomen facilimè mereretur. Alexandri autem nomen, ne hoc lateat, adeptus est hic Imperator, quod in fano apud Arcenam urbem, Alexandro illi magno Macedoni dicato natus esset, cum de improviso illuc die festo Alexandri nostri parens cum coniuge sua solemnitatis peragendæ gratia appulisset, accedit, quod isto die primùm lucem communem adspexerit hic Mammæ Alexander, quo Magnus ille naturæ concessit. Ingentem verò, & planè insolitam, quando & Antonini & Magni nomen sibi ab Inclito Senatu delatum repudiaret, præ se modestiam tulit, qua etiam haud obscurè istiusmodi in felix noui regiminis auspicium acclamaciones: Dñ te seruent: Felices nos tuo Imperio: Beata Resp. prolixissimis titulis, encomijs & votis affluens, excitauit. Cæterum ut natura ad humanitatē factus & factus erat, tam insolite congratulationi contradicens: Cauete, inquit, patres conscripti, ad talem certaminis (cui ferundo non sum) necessitatē me provocetis, & quod Imperator hanc reluctando vocem magis effret,

B
ret,

ORATIO.

ret, tanto populus ardentius, vltro citroq; habita concertatio-
ne , alter vt delatum honorem susciperet , alter vt debita cum
reuerentia recusaret, instare visus fuit. Tandem verò crebris
votis nihil effectum sentienti populo Alexander Seuerus quām
amicissimē gratias egit : Antonini & Magni nomine carere,
quām inclarescere vnicē expetens, boniq; Imperatoris officia
& studia de se promittens , apud vnumquenq; inauditæ gra-
uitatis famam atq; gloriam obtinuit,nec immerito, cùm Senatus
plenis buccis, summoq; conamine,vni adolescenti persuadere,
quod in optatis habuerat, non quiuisset : Vt tamen aliquid, mi-
litibus pr̄sertim,daret Alexander , ob maximum vigorem, &
raram animi constantiam,Seuerum se nuncupari, vt fatō quo-
dam,cum apud copias suas,multando fontes, tūm seros poste-
ros tantæ severitatis ducem suspicientes , perennem nominis
celebritatem relinqueret, passus est.

Omina porrò, quæ huius viri natuitatem præcesserunt,
quod superstitiones in hac veræ religionis luce funditus ex-
terminatæ, solisq; ethnicis (qui tunc temporis vbiq; regna oc-
cupârant) relinquendæ sint, & suo loco legantur, consultò ta-
cemos, & in hoc herœ mirabilem oculorum aciem, mentis præ-
fagia, rerum, verborumq; memoriam,quæ alioquin labilis ad-
firmatur, promptissimam admiramur, & quod aulam superfluis
impendñs liberando, iniustos & suspectos iudices, numis non
numini deditos, à tribunali reiecit, illibatæ opinionis viros præ-
fecit, summoperè commendamus. Qui catharmata contueri,
præ animi indignatione didicit, in Neronis,non bipedum modò,
sed & quadrupedum nequissimi vitam vix vitam inspiciat, vbi
Penates luxu disfluere, Verrem,scurras,Eucliones, sacrosanctū
iusticiæ asylon conspurcare, Catilinam ad rerum gubernacula
sedere,sine lege & animi moderatione ulla præesse ,ambitione
& inuidia flagrare, canes & simias omnibus in angulis fœtere
animaduerterit: ista se iactet in aula Nero,& qui eiusdem farinæ
sunt : esto tale feris imperium . Homines NOS esse memine-
rimus, ea etiam lege natos , vt Alexandri imperio delectemur.
At quali imperio ? vbi virtus bonis amori, vicium odio erat,

ORATIO

vbi iuris facellum non sus, non lupus, vt tuum Nero, tuum Heliogabale, tuum Bassiane, sed ipsa iusticia, ipse candor tenebat, προσωπολητία exulabat, vbi caussæ non ad gregis nutum, sed legis votum, & æquabilem Regis motum decidebantur: vbi ipse Vlpianus, Vlpianus, inquam, ille legum sacratissimarum Coryphæus, sententiarum pugnis attemperatione quædam medicinam faciens, præsidebat, quem Imperator in oculis ferebat, quem Magistrum anxiè deligebat, quem parentem, quem amicum, l. 4. C. de locato, conducto. l. 4. C. de Contrah. stipul. referentibus, compellabat. Ut ibidem Cynus noster in hæc verba proruperit: Vides studiose juris, quantum prosit scientia, facit legisperitum Patrem Principum & amicum. Et hoc seculo perspicimus, quanta legum, eorumq; cognitionis præstantia, maiestas & amplitudo. Quis igitur legalem doctrinam non amabit, admirabitur, colet: Quis non huic sanctissimæ sapientiæ nomen profitebitur: quis ad eam omnibus viribus non contendet: velisq; ac remis, quod dicitur, accurret: Sed ne extra numeros saltem, vox ad Alexandrum redeat, qui, boni Agricolæ in morem arbores & sibi & posteritati serentis, leges de iure populi & Fisci, non tantum ipse dum superesset, verum etiam futuro æuo, nisi Nero boni ordinis corruptor ab inferis reuertatur, valituras tulit, quarum, nisi opinione fallor, quadringentæ, viginti & una à Triboniano Codici repetitæ prælectionis diuersis sub titulis & libris insertæ reperiuntur, utiles, iucundæ, &c, vt generaliter dixerim, necessariæ omnes. Adhæc cur Alexandro nostro & sexus & ætas vniuersa gratias agat longè maximas, vt plurimas eius arias sanctiones mittam, ex. l. 3. C. de testam. libet referre, quæ mihi perplacent. Licet (rescribit quem celebro) Lex Imperij solemnibus Iuris Imperatorem soluerit, nihil tam proprium Imperij est, quam legibus viuere. Ex l. 3. de pat. potestate. Ibi: Si Filius potestatem patri debitam non agnoscit, castigare iure patriæ potestatis non prohiberis, acriori remedio usurpus, si in pari contumacia perseverauerit.

B. 2. Videte eum.

O R A T I O.

Videte parentibus datam puniendi liberos facultatem; ex
l. i. Contra Patronum tuum famosam actionem instituere non
potes. Idem ex. l. 2. 3. 4. C. de obsequiis Patrono præstandis. Ex
l. 5. C. de furtis & seruo corrupto. Ibi. Civile est quod à te ad-
versarius tuus exigit, ut rei, quam apud te fuisse fateris, exhibeas
venditorem, nam à transeunte & ignoto te emisse, dicere non
conuenit, volenti euitare alienam bono viro suspicionem. Ex
l. 3. C. de iure Reip. lib. 11. Remp. & pupillum extra ordinem
iuuari moris est, Ex l. 8. C. de edendo: Ibi. Et quæ à Diuō
Antonino patre meo, & quæ à me scripta sunt, cum iuris & æ-
quitatis rationibus congruunt. Ex l. 3. C. de seruit. & aqua.
Tueri placita inter contrahentes debent. Ex l. 5. C. ad Ma-
cedo. Ibi. Macedoniani Senatusconsulti autoritas petitionem
eius pecuniæ non impedit, quæ filiofamilias studiorum vel le-
gationis gratia alibi degenti credita est. Ex l. 3. C. de periculo
& com. rei vendi. Dolum auctoris bonæ fidei emtori non no-
cere, certi iuris est. Ex l. 2. C. de reb. cred. & iurei: Ibi: Iu-
ris iurandi contemta religio satis Deum vltorem habet. Ex l.
1. C. si aduers. vendit. Ibi. Si minor annis 25. emtori prædī canisti,
nullam de cætero te esse controversiam facturum; Idq; etiā iure-
iurando corporaliter præstito seruare confirmasti: Necq; per-
fidix, neq; per iurū me auctorem tibi futurum sperare debuisti.

Hæc ne legum scita ethnicismum sapiunt: Minimè genti-
um. Quin ad Christiani dogmatis professores, forum Mosai-
cum, & sapientissimi Salomonis curiam referimus. Digna certè
Cedro oracula, quæ nullum seculis infinitis ævum obliterabit,
nullus furūs infernalibus deterior tyrannus delebit. Nec sanè
quisquam mortalium eò temeritatis progrediatur, ut vni, soliq;
tot diuinorum legum compositionem Alejandro acceptam re-
ferre gestiat, quem, si adesset vir modestissimus, honorem ipse
refugeret: Sed viginti Iurisperiti, in quibus præcipui Domi-
tius Vlpianus, quo nil eloquentius: Paulus, quo nil neruo-
sius: Pomponius, quo nil iucundius: Africanus, quo nil sub-
tilius: Celsus, quo nil nitidius: Callistratus, quo nil doctius,
(Tiraquello in præfatione ad leges connubiales iudice) omnes
excellissimi illius Papiniani ceruicem gladio in ætatis flore, ne
ius

ORATIO.

ius nostrum temeraret, præbentis discipuli, & consiliorum Alexandri semper participes, nec non disertissimi quiq; iuris tractationi adhibiti partem gloriæ sibi optimo jure vendicant: ut interim & vnu rerum & ætate grauibus viris, rei militaris perquā peritis, sua in palæstra laus & dignitas constet. Cedant igitur gemmæ, quas Alexander à viro gestari vetuit, cedant monilia, cedant Crœsi facultates, vbi talis gubernator, tam Augustus Imperator iusticiæ officinam vel ad tenuissimi negotiū cognitionem tot nobilissimis Iuris sacerdotibus, tot viris dicendi & militandi peritissimis exornat, obsfirmat, amplificat, adamantiam reddit. Impostores porrò, furesq; cane & angue peius odit. Alexander audiri absq; capitis flexu & blandimentis percupēt: macula inquinatos Reip. adesse, se adorari, ambitiosis ad Remp. accessum patere, Libertinos equestri dignitate gaude-re noluit: ægrotos visere, hominum vota fastus expers colligere consuevit: adeo ut cum stomacho genitricem suam proloqui audierit: Molliorē tibi & contemibilem Imperiū potestatem fili fecisti: & subiecerit ille: Sed securiorem & diuturniorem. In quam sententiam Dux VVirtenbergensis in principum viorum concilio generosè, ac grauiter pronunciasse fertur: Se ita subditorum in se animos & affectionem nouisse, vt data occasione caput complexui illorum credere non vereretur. Sed Alexandri laudes pertexere mens est. Quotidie à se vitæ morumq; rationem exigere, gratis succurrere pauperibus, domi forisq; res efficere gnauiter, opificibus & negotiatoribus fauere, Christianis domicilia concedere, matrem summè venerari: Paulo & Vlpiano confusoribus obtemperare: Musicis, Mathesi & consimilibus artibus, quas particulatim enumerare nihil attinet, se consecrare, falsarñs digitorum neruos incide-re, piscari frequenter, venatui & prodeambulationibus acuendæ prudentiæ ergo indulgere: Nec minus delectationis ex libris Platonicis de Rep. & M. Tulli de officiis, & Poëmatis percipere, vitam Alexandri Magni æmulari: Studijs grauioribus defatigatus in cursu & luctaminibus operam collocare, lauare, diplomata nisi probè perlecta nunquam sigillo communi-re, qua vtinam Theodosius Cæsar prudentia valuisse, non æde-

ORATIO.

polâ sorore festiuē delusus legeretur. Emeritis ministris A
lexander nomine Reipub. (quod hodie prō dolor in desuetu
dinem ab̄iit) gratias agere, stipendia ad extremum vsc̄ halitum
decernere, compransorem Vlpianum aliquando aduersus mi
litum furorem, nedum interuentu, sed & corporis Alexandri
purpuræq; obiectu seruatum admittere, nec obscurè literata
rum concœnatione fabularum, salibusq; aptè prolatis delecta
ri, codicem Græcum nunquam, ne quidem in mensa, de manu
ponere, in conuiuñs, quoties vsus erat, iuxta commodus &
perhumanus videri, scholas aperire, thesauros repertos inuen
toribus donare. Atq; sic hactenus de rebus domi gestis: nunc
quas foris egit, tempus est exponere. Ne autem ab in
tegro, siquidem per rerum magnitudinem & multitudinem sa
tis materiei esset, oratio enascatur, quædam nostri Impera
toris acta strictissimè in medium proferam. Iniit Parthicam
expeditionem tanta disciplina, tamq; spectabili pompa, vt pro
militibus senatores transire iurasses, Prouincialibus iniuriæ
aliquid, etiam durante bello, fieri seuerissimè interdixit, vnde
hoc muneris recepit, vt non homo, sed numen æquissimum,
non imperator, sed frater, imò parens propensissimus certa
tim commendaretur. Exercitus excandescitiam, sua virtute,
propositi rectitudine, & vita labis vacua confisus, extremè con
temnit, & stipendiñs animos in officio retinere, ista oratione:
Miles non gerit morem, nisi veste, armis, calceis, & vietu sit in
structus: aperuit. Artaxerxem Persarum tyrannum copiñs
munitissimum deuicit, prædam exercitui, vt locupletaretur,
contulit, Romanis Persas seruos primus submisit. Confecti tan
dem belli cœntu magnifice explicito, solemniq; Senatus po
puliq; acclamatiōne subinde circumsonante, in vrbe per qua
tuor horas præ gaudio manibus eleuatus triumphum splendide
ac pomposè egit. Non multò pōst, cūm omnium in se genti
um oculos conuertisset, equitatu & peditatu firmissimus, ne in
contumeliam Imperi Gallia vastaretur, aut expugnaretur, ad
Germanicum bellum animosè processit: vbi quæso quam mili
tum ferociam, quam duriciem, quas factiones ob congruam

fux

ORATIO.

suæ administrationis seueritatem laudatissimus Imperator videt, sensit, re adeò ipsa expertus est. Cùm in Britannia, seu, vt alij placuit, in Galliæ vico Sicila, velut admotis irarum facibus incensi latronis (non ingenui militis) manu, clanculum, celeriter crudelissimeq; perimeretur. At quis, Deus bone, heros! Dux belli meritissimus, omnium ordinum tutor, magistratus urbis & orbis, Mecoenas literatorum, flos iustitiae fragrantissimus, de hoc nequam sicario, de genere humano bene meritus, & adhuc præclarissimè promerens Alexander: Cui salutem, cui dignitatem debuit, istum salute ac dignitate scelestus priuauit. O impium, ô immane facinus, ô ingratitudinem detestabilem, quam flumen lacrymarum sequebatur, meritaq; poena manebat, quando cædis auctores à sanioribus satellitibus crucidarentur. Imperauit Alexander noster annis tredecim, diebus nouem: vixit annis 29. mensibus tribus, diebus septem. Non moremur, quod Alexandrum macula laborasse vulgus iactitat, non ad defensionem eius temerè profiliimus, nostra ille lingua, ne deformetur, hac de cauſa non indiget. Si Seuerus fuit, Imperator fuit: si vectigalia instituit, Reip. sumtus postularunt: si suspiciosus, pigmentis aulicis non sat credidit, homo ille hominem penitus exuere nequiuit. Hæc si alicuius arbitratu & opinione viciola sunt, fulgidissimo cæterarum virtutum lumine, ceu radj; solaribus obfuscantur. Adfer, si lubet, liuor alia. Habetis quæ de Alexandro Seuero, vice præludij, breuissimè præmittenda duxeram: superest, vt ad ipsam explicationem l. 2. C. De res. vend. & c. 1. Cum cauſa de emt. & vend. materiæ profecto cognitu utilissimæ & celeberrimæ accedamus, quam autoritate Iurisconsultorum huius Academiæ, præceptorum meorum iniunctam, die crastino, hora nona matutina, auxiliante DEI præpotentis gratia, inchoabimus, in eaq; hæc tractandi via tenebitur, vt succinctæ methodi indicatione facta, diserta eius explanatio, admistis dubitationum & decisionum momentis, subnectatur, in qua dum pro ingenij modulo versor, commilitones se beneuolos, meiq; amantes præbebunt.

Serua.

Seruatorem nostrum Dei Filium, in cuius nomine ad actus
nostros, etiam Iustiniano in I. 2. C. de officio præfecti præto-
rio Africæ, mandante, progredimur, submisse obtestor & oro,
ut omnium nostrum operas sacro spiramine moderetur, vos do-
ctissimos Præceptores, & Consodales optatissimos, qui nostri,
honoris caussa, & qui censores adfuitis, longum tueatur, nec
non omnibus animi ac corporis viribus benignè instruere &
confirmare dignetur. **D IX L**



... mit dem vorst und nachst der ...
Unterwegen hat bey der Stadt Remise in Italien
D. von mirre jungen Magd, malte empfunden
in einer Stadtschule zu Rom, und wird von da am 3. Februar
im Jahr 1589.
2. ditz my Declaration und Erklärung.
Hier in Frankreich von mirne das Herzog von Rom
zu seinem Abschall und Untergang vom 15. Februar 1589.
Von dem Kurfürst und Herzog von Brandenburg zu Cölln und genannt
Francis von Valois, Herzog von Alençon von Rom
am 15. Februar 1575.

A B 155 578



3


St

VD 17 00

K

Farbkarte #13

B.I.G.



ORATIO
DE VITA ALEXAN-
DRI SEVERI IMPE-
ratoris laudatissimi

conscripta ē

RECITATA IN COLLEGIO
IVRIDICO à SEBASTIANO à BERGEN, CVM
ex decreto amplissimorum Iurisconsultorum in
inlyta VVitebergenſum Academia le-
ctiones publicas auspicaretur, anno
1583. mense Ianuario.



VVITEBERGAE
Ex typographia Simonis Gronenbergn.
M. D. LXXXIII.



3